



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

314. An Prælati Summo Pontifici inferiores delegare possint indistincte
laicis causas Ecclesiasticas? Et supponitur posse Summum Pontificem si
viderit expedire, iurisdictionem spiritualem laicis ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

noüiffimè in *consult. cas. conscient. vol. 1. part. 2. præc. 3. responf. 32.*

RESOL. CCCXIII.

An princeps laicus possit legitimare filium Clerici, si ipse filius sit Clericus?

Et quid si filius Clerici sit laicus? Ex part. 1. tract. 2. Ref. 112. alias 111.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Couarr. 2. p. de sponsal. cap. 8. §. 8. num. 19. qui citat ad propositum Ioan. Andream, & Lambertinum. Et ratio est: quia possunt laici Clericis priuilegia concedere ex cap. nouit. de iudiciis. Ergo priuilegium legitimatiōis potest Princeps sæcularis Clerico communicare: & licet Clerici, sæculari iurisdictioni subiecti non sint, & Princeps in illos potestatem non habeat; tamen supradicta legitimatio in effectu non tam respicit ipsius Clerici legitimandi personam, quam bona ipsa, quæ supponuntur sita intra territorium Principis legitimantis.

2. At, his non obstantibus, contrariam sententiam amplectendam esse existimo, cum Basilio Pontico de matrim. lib. 11. cap. 6. n. 9. & Anguiano tract. de legib. tom. 1. lib. 2. contr. 23. num. 65. quia supradicta legitimatio est actus iurisdictionis: sed Clericos à sæculari potestate exemptos esse ex se patet: ergo, &c. Adde, quod non solum personæ, sed etiam bona Clericorum sunt exempta: ergo non potest Princeps sæcularis, etiam ex hoc capite, Clericum legitimare. Vnde patet responsio ad argumenta contrariæ sententiæ. Ad primum respondetur, quod procederet, si in tali legitimatiōe ageretur tantum de utilitate Clerici & non de eius præiudicio, ut est in casu nostro, per iurisdictionem incompetentem in illum exercendam, &c. Et nostra opinio est admodum vera, ut aliqui doceant, etiam si filius Clerici sit laicus, non posse Principem sæcularem illum legitimare. Et ita fuisse decisum anno 1562. in Senatu Parisiensi, testatur Petr. de Gregor. lib. 10. Syntag. cap. 4. Vnde Azorius tom. 2. lib. 2. c. 15. q. vlt. asserit, tutius esse ab utroque Principe legitimatiōem postulare.

RESOL. CCCXIV.

An Prælati Summo Pontifice inferiores delegare possint indistinctè laicis causas Ecclesiasticas?

Et supponitur posse Summum Pontificem, si uiderit expodire, iurisdictionem spirituales laicis exercendam committere ad tractandas causas non solum ciuiles, & criminales, sed etiam spirituales? Ex part. 1. tract. 2. Ref. 113. alias 112.

§. 1. **C**larum est, posse Summum Pontificem, si uiderit expedire, iurisdictionem spirituales laicis exercendam committere, ad tractandas causas, non solum ciuiles & criminales, sed etiam spirituales, ut tradunt Nauarrus in Manual. cap. 27. n. 6. Aufertius de potest. sacul. reg. 4. fallent. 3. & alij.

2. Difficultas consistit, an idem dicendum sit de Episcopis. Et distinguendo communiter respondent: nam, vel causæ spectantes ad Ecclesiasticam iurisdictionem sunt causæ merè ciuiles, & pecuniariæ, vel sunt spirituales: primas causas Episcopus potest laicis delegare, secundas minimè. Et hæc opinio in praxi communiter obseruatur, & obseruanda est, licet de iure nouissimè Anguianus in tract. de legib. tom. 1. lib. 2. contr. 25. n. 4. solide & perdoctè, ut semper solet, contrarium doceat.

RESOL. CCCXV.

An Legatus natus possit exercere iurisdictionem in Regularibus exemptis? Ex p. 1. tract. 2. Ref. 17. alias 16.

§. 1. **R**espondeo negatiuè: nam Legatus à latere potest talem iurisdictionem exercere in exemptis. Et ita docet Gloss. in cap. 1. de off. Legati, in verb. vniuersos. & ibi noster Abbas, Panormitanus num. 8. qui hanc sententiam probat ex cap. si Abbatis de elect. in 5. & ex cap. 1. de verb. significat. Et ita docet etiam Villadiego in tract. de legato, q. 8. n. 20. & ex neotericis tenet etiam hanc sententiam Erasmus de Cochier in tr. de iurisd. in exemptis, part. 2. q. 2. per totam, & q. 50. n. 6. & part. 4. q. 26. n. 2. cum alijs. Quam uero sint Legati nati, uide Henriquez lib. 10. c. 28. n. 3. Gambacurtam de immunitat. Eccles. lib. 10. c. 8. n. 19. & alios.

*Sequentes Resolutiones uisum est mihi diuidi non posse:
Ideo sequitur*

APOLOGETICA DISCEPTATIO,

DE

OMNIMODA CLERICORVM EXEMPTIONE
ciusque origine contra P. Michaëlem Rabardeum.

RESOL. CCCXVI.

Summatim exponitur, quid sentiat P. Rabardeus circa Immunitatem Ecclesiasticam? Ex part. 7. tractat. 1. Refol. 1.

§. 1. **N**no prætorio 1641. in lucem emissus fuit libellus sic inscriptus. MICHAELIS

RABARDEI Optatus Gallus, de cauendo Schismate, &c. benigna manu scriptum. Hic Auctor in sect. 2. per totam ex professo pertractat materiam Immunitatis personarum, & bonorum Ecclesiasticorum. Et docet Primò, Immunitatem circa personas Ecclesiasticorum esse de iure positiuo Imperatorum, & ex eorum benignitate, & priuilegio concessam. Secundò; non esse concessam ab Imperatoribus absolute, & plenè, sed tantum in quibusdam causis, & casibus. Tertid; posse